



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 108. Theologicæ Facultatis Parisinæ Conventus pro examinanda Renati
versione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

hanc versionem ad Facultatem deferebant, a qua etiam nominabantur Deputati, qui hæc Biblia discuterent, ac postea, quid desuper sentirent, Facultati referrent.

Sæcul. XVI.
A.C. 1566.

§. CVIII.

Theologicæ Facultatis Parisinæ Conventus pro examinanda Renati versione.

Hanc in rem plures Conventus Mensibus Aprili, & Majo, necnon in sequentibus habebantur, & quidem in eo, qui die septima Aprilis fuit celebratus, examinabatur Regis Privilegium, quo fretus Renatus hunc librum publici juris fecerat. In diebus sequentibus usque ad vigesimam octavam ejusdem Mensis Deputati decreverunt, convocandos esse illos Doctores, qui haud consulta Facultate hoc opus approbarent: die ergo trigesima Aprilis res effectui data, unde Facultas, peracto solemnium sacro de Spiritu sancto, congregata discutebat quasdam propositiones in hisce Bibliis contentas: postea accersebat illos duodecim Doctores, qui de sua approbatione rationem reddere jubebantur. Demum integri Menses Majus, & Junius usque ad decimam quartam Julii diem huic examini dicebantur, die autem decima quinta refe-

Hist. Ecclesiast. Tom. XLVIII. N ren-

Sæcul. XVI.
A.C. 1567.

rentibus Deputatis Facultas hanc versionem esse supprimendam censuit; unde eadem die adesse iussit Sebastianum Nivellam, Gabrielem Bonum, & Nicolaum Chesnau, seu Quercium Typographos, quibus suppressa esse hæc Biblia significabat. His peractis undecima Augusti die Rhenus Benedictus vocatus coram Deputatis comparuit, ubi admonitus fuit, ut Facultatis sententiæ aquiesceret. Post hæc rursus quinta, undecima, ac decima septima Septembris die congregati Deputati eundem Benedictum advocabant, qui se Facultati obtemperaturum nunc promittebat, nunc recusabat, adeo, ut hoc negotium usque ad annum Domini millesimum quingentesimum septuagesimum secundum protraheretur, quo Benedictus haud amplius comparuit: cum ergo Facultas cerneret, quod Typographi spreto illius interdicto hanc versionem audacter divulgarent, Regnumque bellis civilibus, ob quæ jurisdictionis executio erat suspensa, undique agitatum esset, ideo huic causæ superlegendum censuit usque ad annum Salutis nostræ millesimum quingentesimum octogesimum quartum, quo Rhenus Benedictus propositæ submissioni subscripserat, quamvis hæc ipsa revocatio minus sufficere crederetur, eoquod
verbis

verbis ambiguis efflet concepta. Demum ^{Sæcul. XVI.} Renatus cum inter ceteros Doctores ^{A.C. 1567.} senio emeretur, ac Decani officium in Facultate obire desideraret, anno post Christum natum millesimo quingentesimo nonagesimo octavo sententiæ, qua ejus liber proscribatur, aquievit.

§. CIX.

Propositionum ex his Bibliis decerptarum censura.

Interea Facultas ad Pium V. summum ^{Argentre} Pontificem transmiserat Catalogum ^{pag. 395.} errorum, quos in præfata Bibliorum versione a Renato Benedicto concinnata deprehenderat: insuper rationes, quibus permota eam damnabat, eidem Papæ exposuit: porro huc nonnisi hujus censuræ summam referimus.

I. In hæc verba capitis 4. Genesis: Dixitque Cain ad Dominum: major est iniquitas mea, quam ut veniam promereri possem, inquit Facultas: hæc *translatio propositionis versionis communis, scilicet major est iniquitas mea, quam ut veniam merear, est perversa, & propositio, ut jacet, est erronea, hæretica, & blasphema, & sumpta ex Genevensibus Bibliis.*

II. Ad hæc verba cap. 5. Genesis *ambulavitque cum Deo & non apparuit: quia tulit eum Dominus,* Renatus hanc adnotatio-